



Meroueus filius fuit Clodouei, & nepos Pharamundi, quem Franci, qui sub eius auro & patre Galliam iuuaserant, sibi regem crearunt, anno Christi 446. Erat hic insigni fortitudine & prudenteria praeditus. Itaque multas praestantissimas urbes Gallorum suo regno adiecit, Coloniam, Treverim, Cameracum, Parisios, Aurelias, atque alias circumiacentes. In alijs autem locis Burgundiones, Hunni, & Visigothi Galliam occuparant. quibus se se Aetius fortissimus Cesaris dux opposuit, atque cum Meroueo pacem sanciuit, & ei parte Galliae inhabitandam concessit, ut alijs gentibus commodius resistere posset. Cum autem Meroueus in ta-

ta Barbarorum commotione de sua posteritate esset sollicitus, ominosa uisio ei obuiā facta est. Is enim numen triceps sibi astare conspexit, & unius cuiusque capitis singulare audiuuit uaticinium, discretumque uidit diadema unicuique supereminere impositum. Primum caput erat buffonis, secundum leonis, & tertium aquilae in forma quasi expansis alis desuper stantis, & dextra leonem, sinistra uero buffonem fouentis. Dixitque aquila: Tua progenies caput meum sibi subiicit, leonem simul conculcabit, et buffonem occidet. Non me, quod foedus appareo, rex aspernandum ducas. Est species rebus cōueniens, & forma futuris. Me primum extinguet generatio tua procul, post hæc leonem seruabit ense captum: cuius ore quod amplius restat audire curato.